De
VERSIBUS ALIQUOT IUVENALIS
MALE SUSPECTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ROSTOCHIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICUS POLSTORFF

Gustroviensis.

SUERINI.

TYPIS HERBERGERII.

MDCCCLXXXII.

FRANCISCO VOLCMARO FRITZSCHIO

SACRUM.

Parvae illae veterum scriptorum reliquiae, quae, cum diu oblivioni datae fuissent, tandem repertae et in lucem revocatae summo gaudio ab iis, quorum in fortunatas manus venerant, accipiebantur plurimique aestimabantur et omissa omni ratione critica qualescumque erant describebantur et lectitabantur, hodie nimis magnae multis videntur et copiosae esse: sunt qui tollant quae fastidiunt aut non intelligunt, plurimas subesse interpolationes arbitrati. Quo artis criticae subsidio in expungendo posito, quod prudenter et modice adhibitum non est spernendum suumque habet in restituendis veterum scriptis pretium, inde ab initio huius saeculi ita perverse uti coeperunt critici, ut laborare eos morbo quodam saeculari recte quis dixerit. Et quantopere capti fuerint delendi furore, satis superque elucet ex unius poetae exemplo, Horatii! At multo etiam graviora quam Horatius passus est qui in satira eum sequebatur Iuvenalis. Nam inde ab Guyeto (1600) usque ad Ribbeckium (1865) non pauci acumen suum et subtilitatem in satiris eius exercendam esse et praestandam putabant delendis versibus, eiiciendis singulorum carminum partibus integris, abiudicandis totis satiris.

Peropportune igitur accidit, ut ad sanitatem nonnulli critici redire incipiant audeantque reminisci summi illius artis criticae officii, quod positum est non in destruendo, sed in conservando ac restituendo. Nam licet sperare fore, ut ab iis, qui artem criticam sequuntur rationis sanique

iudicii ministram, serventur quae servari possunt veterum ingenii monumenta. In quibus non ultimum locum tenent Iuvenalis satirae.

Nec vero propositum mihi est impugnare h. l. Ribbeckium, cuius rationem criticam probare dubitant ipsi assectatores: sed id videtur operae pretium esse tueri totique carminum corpori servare etiam minora illa, quae inde ab initio huius aetatis in dies magis passa sunt criticorum cultrum, membra, singulos versus dico male suspectos et inconsiderate expunctos.

Ex his quae diximus non licet colligere, facere nos cum iis, qui interpolationes esse omnino negant; sed qui additamentis vacuos esse libros manuscriptos opinantur, ei non minus nobis videntur errare, quam qui decimum quemque versum spurium esse censent. Et in Iuvenalis carminibus, quales libris manuscriptis continentur, sine dubio sunt versus ab ipso poeta abiudicandi vel inde, quod exhibentur codice uno alterove eisque minoris pretii. Exempli gratia liceat monere, in uno codice Norimb. Rupertium legisse post versum 186 sat. XIV additum hunc versiculum ipso metro claudicante originem prodentem:

frondoso pariter requiem capessere lecto.

In nonnullis codicibus legitur post versum 1 vel 2 XIV satirae hic versiculus plane obscurus:

et quod maiorum vitio sequiturque minores,

quae verba solutis numeris recte scripta sunt in uno codice Havn.: *et quod est maiorum sequitur vitium minores.* Post versum VI satirae 614 scholiasta et nonnulli codices habent tres versus permiros, quorum de origine vide sis Heinrichium in commentario p. 285. Sunt hi:

Semper aquam portes rimosa ad dolia, semper
Istud onus subeas ipsis manantibus urnis,
Quo rabidus nostro Phalarim de rege dedisti.

Efficitur ex his quae protulimus exemplis non liberas esse Iuvenalis satiras spuriis versibus. Sed quales sunt hi versus? Alii inveniuntur in uno codice eoque deteriore, alii non possunt intelligi, alii neque inter se nec cum eorum, qui

antecedunt et sequuntur, versuum argumento consentiunt. Patet casu quodam eos in versuum ordinem irrepsisse. Facillime spurii deprehenduntur.

Sed sunt quoque, qui cogitate et consulto inserti sunt versus. Cuius rei certissimus testis est vicesimus secundus sat. II versus, e quo in uno cod. Ulm. misso versu 15 facti sunt duo:

Clunem agitant [*Venerisque novo merguntur in actu.*
Vituperans] *ego te ceventem*, *Sexte*, *verebor?*

Qualium operum in numerum utrum referendus sit versus aliquis necne, cum perraro tam facile ut h. l. perspiciatur, quia et in optimum quemque codicem eiusmodi additamenta irrepserunt, et in multos libros eadem transscripta sunt, et saepe meliores versus pangere interpolatores didicerant, summa opus est cautione, ne aut ipsum poetam corrigere, aut adulterinos versus genuinos iudicare videamur. Hodie id potissimum agunt critici, ne ullum versum, qui quidem levissimam moveat suspicionem, in textum recipiant; plane negligunt cautionem illam, qua impediantur, ne privent poetam suis versibus.

Et diligenter si comparaveris inter se virorum doctorum iudicia, facile concedes, in magno eorum, qui inde ab initio huius aetatis in suspicionem vocati sunt, versuum numero inveniri perpaucos, de quibus ne clarissimi quidem critici non dissentiant. „Illatos esse, in quit Iahnius, in I. saturas versus ab ipso non scriptos omnes iam consentiunt, verum ubi ad singulos versus aestimandos ventum est, dissentiunt plerumque.“ Quam rem magnum puto testimonium eius, qua multi critici hodie laborant, inconstantiae et licentiae. Unde enim manasse putes dissensum istum, nisi inde quod suum quisque arbitrium secuti certas sani iudicii leges critici sequi nolunt?

Proficiscendum est etiam in hac de versibus spuriis quaestione a codicibus, scholiis, veterum testimoniis. Quorum quantulum sit hac quidem in re pondus, satis exposuit Lupus p. 25, qui quid sentiret in unum coegit his verbis: „ut codicum, ita scholiorum et grammaticorum auxilio in hac quaestione destituti sumus.“

Nihil igitur restat, nisi ut ad ipsos versus accedamus. Quibus in ponderandis ut temeritatis crimen effugiamus, paucis praemittere liceat eas quas sequi statuimus leges. Ac primum quidem decet eum, qui de interpolationibus agere sibi proposuit, ante omnia reputare semperque reminisci, certam verae loci alicuius conditionis scientiam nunquam fere criticum assequi, sed, etiamsi felicissime cesserit, tamen nihil posse profiteri nisi invenisse se verisimilia et probabilia. In omni enim arte, ut ait verissime Iahnius, raro evenit, ut quid verum sit certis argumentis evincas. Neque id mirum in difficillima hac quaestione. Nam codicibus ceterisque testimoniis paene destitutus cum ex ipsorum locorum natura diiudicare cogatur criticus, suo arbitrio ductus suaque fretus doctrina quam facile a vero aberrat inductus in errorem vana specie vel secutus praeiudicatam quandam opinionem. Quae cum ita sint, cautus modicusque criticus non dubitabit, si res postulat, hac quoque in re exercere artem illam nesciendi, i. e. versum de interpolatione suspectum, quem spurium certis rationibus evincere non possit, accipere potius quam temere eiicere, ne videatur poetam suis versibus spoliare. Nam satius errare in partem verisimilium!

Cuius moderationis omnium maxime obliti sunt ii, qui summam diiudicandi legem fecerunt pulchri sensum, quo nihil excogitari potest mutabilius! Quam sint diversa hominum palata, non est quod exponam: constat ne eiusdem quidem aetatis homines quod attinet ad poeticam venustatem et elegantiam iisdem rebus et similiter delectari. Sequitur non bene egisse in hac quaestione qui exercent artem criticam eam, quae dicitur allgemein-aesthetische. Nam non ex ipsius scriptoris qualis est indole et ingenio opera eius aestimant, sed singulari quadam summae perfectionis imagine animo et cogitatione concepta quid dignum sit scriptore, quid non diiudicant. Rectissime Teuffelius disseruit in libro qui inscribitur „die horazische Lyrik und deren Kritik,“ unde non pauca aptissime transferuntur ad Iuvenalem: In aller Literatur vollzieht sich die Würdigung eines Schriftstellers (z. B. eines

Dichters) so, dass man von den Werken zurückschliesst auf den literarischen (z. B. poetischen) Wert des Verfassers, aus jenen sich ein Bild schafft von diesem . . . Selbst von den unbestrittenen Dichterheroen befindet sich kein einziger jederzeit auf der Höhe seiner Kraft, jeder hat auch seine schwachen Stunden, und seine Gedichte bieten daher neben den Eingebungen des Genius auch minder Gelungenes, auch Beweise menschlichen Irrens und menschlicher Unvollkommenheit . . . . Die Vollkommenheit müsste ja erst erwiesen werden durch das Nichtvorhandensein von Unvollkommenheiten. Es ist sichtlich verkehrt, zuerst sich ein Idealbild des Dichters willkürlich selbst zu schaffen und dann an diesem die überlieferten Gedichte zu messen. Vielmehr muss eine historische und zugleich logische Verfahrungsweise den umgekehrten Weg einschlagen, von den Gedichten zum Dichter. Nec minus conducit referre ad Iuvenalem quae dicit Lucianus Müllerus, ubi de interpolationibus Horatt. disputat: Die Zahl der unächten Verse und Strophen bin ich geneigt keineswegs hoch anzuschlagen. Alle die darüber hinausgegangen sind, haben vielmehr den Horaz als seine Abschreiber zu bessern unternommen, an Stelle einer auch in ihren Mängeln bedeutenden und interessanten Individualität ihre eigene ohne Zweifel weit gewichtigere zu setzen beliebt und ihr häufig sehr krauses Schönheitsgefühl dem Dichter einer Zeit aufzudrängen gesucht, die, wie in allen übrigen Anschauungen, auch in der aesthetischen von der unsrigen himmelweit verschieden war. Die Anforderung, aus sich selbst und seiner Eigenheit zu treten, gilt, wenn je in der Wissenschaft, für die Behandlung der römischen Dichter.

Caveas igitur, ne cogitatione eius cui operam das scriptoris imaginem fingas a vera eius indole alienam neve ad ultimam sui generis formam speciemque eum redigas, ita ut ex hac falsa imagine iudicans liberandum eum esse putes qualibet sententia vel enuntiato non omnibus numeris absoluto et perfecto. Id quod in Iuvenale summi est momenti: nam si vel apud summos omnium temporum poetas reperimus vitia quaedam et errores, certe apud Iuvenalem, posterioris

aetatis poetam, qui consiliis suis utilissimum cognoverat id genus poeseos, quod oratorum similius est quam poetarum, satiram; et ad mediam fere aetatem declamavit i. e. studuit arti rhetoricae, ita ut non iniuria quis satiras eius ad unam omnes dixerit declamationes; et ipse confitetur poetam se non esse, sed ad versus pangendos impelli indignatione (I, 79 s).

Praeterea in factitanda superiore quae vocatur arte critica non minus quam in inferiore una cum grammaticis metricisque legibus observandus est eius qui in manibus versatur scriptoris sermo, respicienda est oratio magis minusve expedita et subtilis, examinandus est stilus, utrum sit angustus, an fusus et uber, perspicienda disponendi ratio. Quibus de rebus quod attinet ad Iuvenalem egit[1]) Ribbeckius priore parte eius libri, qui inscribitur der echte u. der unechte Iuv., ubi satt. I—IX et XI Iuvenalis esse statuit, satt. X et XII—XVI declamatori cuidam deberi coniecit. Sed Ribbeckius ea in re non servavit aequitatem: poetae sui virtutes quam potuit maxime illustravit, declamatoris auxit peccata et vitia. Qua de re cfr. si placet Weilium, N. Jahrb. f. Philol. u. Paedag. 1870 p. 222 ss. Constat iam prioribus satiris insita esse eorum, quae in posterioribus vituperavit R., vitiorum semina. Confer Meinertzii Vindicias Iuvenalianas. Nec potest negari suas habere virtutes etiam posteriores satiras, id quod e. gr. de metaphoris demonstravit Genther, über den Gebrauch der Metapher bei J., Wittenberg 1878. Rectissime de aestimando Iuvenale poeta iudicavit Iahnius (1868 praef. p. 9.): „Poeta, qui certum ordinem et accuratam disponendi rationem contemnit et ea, quae propria romanae satirae est, libertate sermonem familiarem grata neglegentia fundendi vel ingrata neglegentia abutitur; tum ex rhetorica disciplina loquax, ubi opportunum locum nactus esse sibi videtur, finem accumulandi non invenit; denique qui sententias captat.“

Restat ut moneamus, minime abs re esse in describenda poetae imagine, cognoscere etiam, quatenus imbutus sit literis, quas sequatur leges ad mores et rerum naturam spectantes,

[1]) Confer Kiaeri librum de sermone D. Iunii Iuvenalis, Hauniae 1875.

utrum fuerit aequalium similis, an eis superior. Et doctrinae specimina ut rhetor Iuvenalis praebet ubicunque; in rebus autem ad naturam moresque pertinentibus totus est suae aetatis. Compares cum versu VIII, 199 (haec ultra quid erit nisi ludus?) ea quae antecedunt et sequuntur, et vide sis quae disputavimus ad versus VI, 335 s.

Patet non nisi accuratissime proprietatem poetae atque indolem ante oculos proponentibus nobis contingere posse, ut effugiamus cum illud, quod maiora quaerimus in operibus eius, quam quae praestare potuit, tum illud quod nostrae artis successum ponimus in blanda illa spe, quam confidenter ostendit Gruppius haece locutus: vor allem halte man fest, dass in demselben Maasse wie die Zahl der Verse schwindet, der Dichter an Grösse und Bedeutung gewinnt. Quasi id agendum sit, ut exstinguendis et delendis vitiis et erroribus summum et perfectum fingamus poetam! Nobis quidem id videtur critici esse, talem eum proponere, qualis est! Et ne possumus quidem, verum si quaerimus, aliter iudicare. Nam qui cum Gruppio facere animum inducunt, ii non emendabunt veterum opera, sed urendo secando qualia veteres opera sua ipsi scripsisse velint, talia ea fingent. Neque in occulto est, versari in lubrico qui e mutilatis operibus velut e cinere phoenicem poetam evadentem facere student clariorem, sui generis summum atque unicum. Luce clarius, aberrasse illos a vero, demonstratur haud paucis locis, qui aut emendatione possint sanari, aut rectius quam ab illis ipsis explicari. Praepropere enim spernentes omnia sanae artis criticae subsidia capiebant cultrum. Quid? num bonus medicus dicitur is, qui spreta medendi arte statim non nisi secando salutem petendam esse iudicat?

Efficitur ex his quae diximus, eiusmodi rationem criticam sequi non licere. Nec minus efficitur, demonstrandum esse, antequam de notanda interpolatione cogites, non nisi delendo locum sanari posse. Ubi vero subesse videtur necessitas quaedam delendi, videndum est, ut salvis eis quae circa sunt fiat sectio. Imprimis igitur caveas, ne delendi causa insuper

mutare aut transpositionem facere animum inducas, id quod saepius factum esse constat (VI, 126 Jahn. VII, 51 Jahn.). Rectissime Gruppius docet (Aeacus p. 35): es müssen zwei Dinge zusammentreffen, die gar nicht so leicht beisammen sind: die äussere Möglichkeit und der innere Grund. Sed multis locis critici videntur non nisi propterea quod poterat deleri, id moliti esse, ut extricarent etiam hanc illam delendi ratiunculam ipsis verbis insitam. Nam quaerentes nos, quomodo fieri possit, ut versuum inter se simillimorum alii deleti sint, alii servati, et comparantes utriusque versuum generis conditionem non fugiet, illos necessitate delendi verbis magis quam rationibus demonstrata expunctos esse, quia possunt salva versuum ceterorum specie omitti, hos quamquam iisdem argumentis spurii sunt putandi, servatos esse, quia non possunt omitti arctius iis quae circa sunt verbis implicati. Sequitur argumenta, quibus alio loco critici ad delendum adducantur, alio loco, quia ex ordine versus solvi non possunt, nihil moveantur, ea nullo modo posse existimari satis magna, sed aut afferenda esse argumenta graviora, aut genuinos iudicandos esse versus et in textum recipiendos. Cuius rei memineris velim in tractandis Iuvenalis versibus, ubi ad sententias ventum erit.

Deinde Gruppius docet (Aeac. p. 36): nachdem die Ausscheidung erfolgt, müssen die neuen Ränder besser zusammenpassen, es muss besserer, unerwarteter Zusammenhang gewonnen werden. Rectissime! nam deleri versus, ut meliorem in statum locus redigatur, vir doctus persuasum habet. Nec vero satis est dixisse „in meliorem statum," sed addendum est „et in eum quidem statum, qualem ipsum poetam eum fecisse verisimile est." Itaque caveas, ne usus proverbio illo, quo dicitur bona pelli melioribus, expungas versus per se ferendos, ut evadat novus et inauditus sententiarum ordo. Quem errorem ut effugiamus, id semper videndum est, ut quam diligentissime eum ipsum, quem quis delere in animo habet, versum excutiamus: nam facillime fit, ut una cum versu tollatur levis quaedam sententiae varietas, quae si abest non ita desideratur, quae tamen ubi legitur maxime delectat. Haud

raro autem critici adducti ad delendum specie probabilitatis ipsum versum suspectum accurate examinare neglexerunt.

Ad extremum denique monendum est, ut quisque plurimos versus ab Iuvenale abiudicandos esse censuerit, ita eum levissime ad caussas interpolationum anquirendas animum appulisse. Contra rectissime docet L. Müllerus l. l.: man muss überall, wo Interpolation zu vermuten steht, fragen: konnte ein Mensch Veranlassung haben, an der vorliegenden Stelle etwas einzuschieben? Und ohne dies probabel gemacht zu haben, wird die geistreichste Athetese noch immer nicht omnibus numeris perfecta sein. Glücklicherweise wird sich aber bei wirklichen Fälschungen unter zehn Fällen neunmal auch ein Grund ergeben, weshalb eingeschwärzt worden ist. Longe plurimi autem, qui in suspicionem vocati sunt, Iuvenalis versus ita sunt comparati, ut causam inserendi invenias nullam: deleti sunt versus, quia non aequiperant id, quod critici animo finxerunt, singulare poetae ingenium.

Apparet ex his, quae disputavimus, persuasum nobis esse versus vere adulterinos haud ita multos in Iuvenalis satiris reperiri, sed longe maximum eorum, qui in suspicionem vocati sunt, versuum numerum servandum esse et in carmina ut ipsius poetae recipiendum. Quorum versuum aliquot tractare liceat, ordinemque ducat locus emendatione sanandus.

XI, 147 s Satirae enim XI versus 147 et 148 *Non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus Quisquam erit in magno cum posces, posce latine!* deletis duobus hemistichiis [non a mangone — in magno] unum in versum coegit primus Guyetus et post eum Hermannus, Ribbeckius, Jahnius (1868), Weidnerus, quorum unus Ribbeckius (p. 134 s.)[1] accuratius de versuum

1) Jahnius, qui in Philol. XXVIII (1869) p. 8 paucis de hoc loco disputavit, defendi posse censet verba „in magno", sed quae attulit exempla (Sen. Thyest. 453 venenum in auro bibitur; Flor. 1.38. Plin. XXXIII. 142) nihil valent, nec Martialis locus (X. 49. 4 vis in auro?) huic videtur par esse.

condicione disputavit et exposuit, quibus rationibus ad interpolationem statuendam adduceretur. Ac primum quidem statuit, inutilia molestaque esse verba „a mangone petitus", quum per se pateret, puerum Phrygium aut Lycium a mangone esse emendum. At minime verba illa referenda sunt ad „Phryx aut Lycius", id quod elucet e repetito vocabulo „non", sed sunt separatim et scribenda et intelligenda, quibus copiose exprimatur vocabulum peregrini vel barbari et amplius acriusque explicetur sententia nominum illorum „Phryx aut Lycius". Deinde R. confitetur non intellexisse se verba „in magno". Qua in re facere non possumus, quin eum sequamur. Silentio autem R. praeteriit, quomodo in textum irrepsisse putaret hemistichia, nec potuit ostendere, nam haud facile quis verba „non a mangone petitus" interpretationem esse verborum „non Phryx aut Lycius" concesserit. Deletis enim hemistichiis agitur de natione servorum et lingua, id quod nihil pertinet ad argumentum carminis, non agitur de parsimonia poetae et frugalitate, quae sunt caput loci. Quomodo igitur quis addiderit verba, quibus homo frugi poeta diserte laudetur?

Sed paucis quid sentiam de hoc loco exponenti mihi liceat praemonere eos, qui legunt, agi tota hac carminis parte de ipsius poetae frugalitate, atque ex hoc argumento singula esse diiudicanda. Corruptam autem censeo et coniectura sanandum versum 148, ipsumque vitium in verbis „in magno" latere mihi quidem persuasum est. Scholiasta vel potius is, quem sequitur scholiasta, legit versus, nam exhibet haec: „Quisquam Erit 1. M.] quales vendunt care mancipari." Elucet ex lemmate iam scholiastae temporibus locum corruptum fuisse; deinde patet interpretationem non quadrare in lectionem istam lemmate expressam, sed scriptum fuisse eius, quem scholiasta sequitur, aetate de magno servorum pretio. Et tantum abest, ut eiusmodi sententia a totius loci indole abhorreat, ut optime consentiat cum satirae argumento laudantis parsimoniam poetae, castigantis aequalium luxuriam. Quae cum ita sint cumque caesurae ratione habita bene coniungantur

verba illa corrupta cum priore versus parte[2]), equidem coniicio legendum esse „hic magno", ut „magno" cum participio, „petitus" coniunctum significet „magno pretio, care": kein Phryger oder Lykier, überhaupt kein von einem Sklaventäuscher teuer besorgter wird hier sein: wenn du etwas fordern willst, so fordere lateinisch! De ablativo „magno" ad similitudinem verborum emendi cett. cum „petitus" coniuncto confer V, 56 *Flos Asiae ante ipsum, pretio maiore paratus.* „Hic" autem, i. e. in hac mea domo, opponitur tricliniis helluonum.

Sequuntur versus interpretando servandi.

III, 113. Versum 113 sat. III *Scire volunt secreta domus atque inde timeri* Pinzgerus dicit esse ineptum, Heinrichius et Ribbeckius languere censent. Quae indica, quippe quae non manaverint e loci natura, sed ex ipsorum criticorum opinione, refellere certis rationibus non possumus, sed inpugnare tantum contra ponentes, non solum non ineptum esse versum aut languidum neque omnino inutilem, sed ad interpretandam totam hanc satirae partem plane necessarium. Quam sententiam nostram confirmabimus argumentis ac rationibus, quum antea aliorum criticorum opiniones retulerimus et refutaverimus. Quod enim Pinzgerus exposuerat, natum esse versum e lectione „aulam" codicibus p et ω ad versum 112 exhibita merito reiecit Hermannus in libello in honorem Wagneri conscripto (Marburgi 1839). Heinrichius opinatur dissentire versum a totius loci argumento, quo agatur de Graeculorum vitiositate. At minime Umbricio in animo est enumerare Graeculorum vitia, sed id agit, ut ostendat Graeculos ne turpissimis quidem

[2]) cfr. Kiaer p. 7: a caesurae intervallo, ubi fieri potest, apodosin et novam sententiam secundariam vel pendentem incipit, ibi anaphoram vel asyndeton ponit, verbum subst. omittit, hiatui indulget, ut brevi praecidam, omnibus modis operam dat, ut ipsa oratio aptum insistendi tempus lectori praebeat, et quam saepe nova sententia primaria ab hoc intervallo incipiat, hic I. locus docet (XIV a. v. 210): Talibus instantem — mala nequitiae.

artibus abstinere, ut fiant magnarum domuum viscera (72. 86 ss). Hanc sententiam autem et ad totius satirae et ad huius partis argumentum spectantem inesse etiam versibus 109—112 non potest intelligi nisi e versu 113. Quem versum si poeta non scripsisset, nihil versibus 109—112 exposuisset nisi vitiositatem Graeculorum. At quid ad rem h. l. sola vitiorum enumeratio? Queritur Umbricius se omnesque viros probos pelli a Graeculis e favore patronorum, et studet declarare, quomodo fieri potuerit, ut isti homines eo venirent potentiae. Quo consilio describit artes eorum et depravatos mores, quibus superiores fiant probis viris et honestis necesse sit. Sine dubio igitur significandum erat, versus illos 109—112, quos solos inutilem vitiorum enumerationem continere facile perspicitur, cohaerere quodam vinculo cum argumento satirae cumque hac carminis parte. Id quod fieri diximus versu 113.

Nec neglexit poeta ceteris locis vinculum illud ostendere. Nam quum versibus 58—125 non id agat, ut describat periculum civitati Romanae malis moribus Graeculorum et intolerabili audacia paratum, sed patefacere velit, quibus uti audeant illi artibus, ut clientes indigenas pellant, ipsi in favorem divitum veniant: unamquamque morum et artium descriptionem dirigit ad hoc totius satirae caput „Romae manere nec possum nec volo“ et ad huius partis argumentum „nam Graecis pares non sumus et ab iis ubique pellimur“. Confer hanc versuum 58—125 dispositionem:

58—72 ferri non potest Graeca urbs; undique Romam fluxerunt Graeculi viscera magnarum domuum dominique futuri.

a) 73—80 quam ad operam optime sunt instructi: nihil non possunt.

aa) 80—85. horum ego non fugiam societatem, qui mihi praeferuntur ubicunque?

b) 86—91. adulandi peritissimi sunt.

bb) 92 s. haec eadem licet et nobis laudare, sed illis creditur.

c) 93—103. inconstantiae divitum et mutabilitati indulgere sciunt, iam hunc animi motum, iam illum artificiose simulantes.

cc) 104 non sumus ergo pares.

dd) 104 s. meliores sunt quam nos, quia

d) 105—8 vel foedissima et turpissima laudare parati sunt, quae quidem divitibus placeant.

e) 109—112 ne turpissimis quidem artibus abstinent,

ee) 113 ut sciant secreta domus et dominentur.

f) 114—118 docet poeta, quomodo utantur Graeculi arr eptis secretis, quamque adepti sint potentiam.

ff) 119—125 Non est Romano cuiquam locus hic.

Sequitur deleto versu 113 solvi versuum 58—125 perpetuitatem, servato versu optime illustrari versuum 109—12 cum tota carminis parte cohaerentiam.

Confitetur Ribbeckius describi potuisse et fortasse describendum fuisse h. l. ad imaginem Graeculorum accurate exprimendam, quomodo quibusque artibus studuerint secreta domuum suum in usum conferre; sed uno versu et paucis verbis id conficere non esse Iuvenalis contendit. Errat Ribbeckius. Exponitur, quomodo in domus magnorum irrepant et secreta non solum arripiant, sed etiam ipsi faciant, versibus 109—112; versu 113 descriptis artibus declaratur, nihil illis artibus effecturos esse Graeculos, nisi ut ipsi timeantur et dominentur. Patet non uno versu de his Graeculorum artibus agi, sed quinque versibus.

Lupus opinatur versibus 100—118 enumerari vitia Graeculorum et ita quidem, ut magnum vitium sequatur maius. Quam vitiorum seriem foede interrumpi versu 113. Vitiorum enumerationem ab hoc loco prorsus alienam esse supra demonstravimus. Sed putare videtur L., versu 113 novum vitium nominari, curiositatem, qua re turbari ordinem illum in enumerandis vitiis servatum quo magnum sequatur maius. Non tamen nominatur novum vitium, nedum de curiositate agatur: non debebat criticus negligere, quod verbis „scire volunt secreta domus“ addita sunt verba „atque inde timeri,“ quibus ipsis verbis continetur caput eorum qui antecedunt versuum. Sequitur v. 113 non esse separandum ab iis qui antecedunt, sed praebere asyndeton quod dicitur summativum, quo verus artium verss. 109—112 descriptarum finis declaretur.

Defenderunt versum Hermannus in libello supra memorato (5 ss.) et Weidnerus in editione. Hermannus disserendi initium facit a communi argumento versuum 58—125, quibus ostendere poetam exposuimus, quibus Graeculi artibus eo perveniant, ut viscera magnarum domuum fiant. Quo cum tenore disputationis tam arcte cohaerere hunc versum, ut non possit, id quod iudicaverat Pinzgerus, haerere ab antecedentis versus lectione. Addere debebat H., non posse deesse versum, quippe quo ostendatur, versus 109—112 illi disputationis tenori omnino accommodatos esse; contineri illis deleto v. 113 nihil nisi descriptionem vitiositatis Graeculorum, quae nec cum totius satirae argumento, probos viros Romae esse inutiles et molestos, nec cum huius partis argumento, Graeculos advenas turpissimis artibus ubique pellere indigenas, aliqua necessitate coniungatur. Weidnerus pro hoc versu adnotavit argumentum gravissimum, recte iudicans deleto v. 113 omnino non posse ferri v. 112: Ohne diesen Vers (113), inquit, ist V. 112 unbegreiflich. Denn was soll das resupinare aviam? Thut er dies aus dem Drang der Wollust? Dies ist unmöglich. Nein, er lässt sich auf die unnatürliche, ekelhafte Vertraulichkeit ein nur in der Absicht, um dadurch die Geheimnisse des Hauses zu erfahren(?). Dem Griechen ist es nicht u. s. w. er strebt nach Macht und Einfluss, und um diesen Zweck zu erreichen, ist ihm kein Mittel zu schlecht. Daher heisst es auch V. 109 nicht nur nihil est ab inguine tutum, sondern auch und zwar in erster Linie: sanctum nihil est.

Dissentiunt inter se defensores de explicandis verbis „scire volunt secreta domus". Rupertius interpretatus erat locum ita: „Cum mulieribus, quae in domo sunt, etiam vetulis, rem habent Graeci et quocumque modo in earum familiaritatem se insinuant, ut ita resciscant secreta domini et propterea ab eo timeantur. cfr. 49 s." Quam enarrationem tantum abest ut Hermannus probet, ut contra censeat, falsam Pinzgeri opinionem, nihil inesse in v. 112, quo de secretis cogitare cogamur, excusari non posse nisi ab eo, qui Pinzgerum putet secutum esse illam Rupertii interpretationem. Ipse locum

ita interpretatur (p. 7): „poeta, qua pollebat humani ingenii notitia, probe intellexit, hominem, qui unum aliquem ex domesticis ad flagitium pellexisset, hac ipsa rei, quae merito inter secreta domus referretur, conscientia earum fore ei, cuius turpitudinem quando vellet accusare posset (53).“ Weidnerus Rupertii sententiam sequitur, id quod elucet ex his adnotationis verbis: er lässt sich ein, nur um zu erfahren. Equidem facere non possum, quin Hermannum sequar, et commoveor his causis: primum verbum sciendi, si Rupertium et Weidnerum sequimur, vertendum nobis est per *Kenntniss erlangen* vel *erfahren* (cfr. Weidn.), quam ob rem Rupertius pro verbo sciendi posuit in enarratione verbum resciendi; deinde accepta Rupertii interpretatione revera in v. 112 non significatur, qualia sint secreta illa; contra Hermanni ex interpretatione suspicari licet, Graeculos velle stupra cum domesticis facta secretorum loco habere, quibuscum fama patroni et existimatio penes ipsos sit. Quam operis partem, ubi fieri potest, suavem dulcemque reddere student (filia, virgo cet); ubi non potest fieri, ne avia quidem abhorrent. Sequitur verba „horum si nihil est“ referenda esse ad iuventutem corrumpendorum, non ad necessitudinem, qua cum domino coniuncti sunt, falsamque igitur esse Kiaeri opinionem his verbis prolatam (p. 195 n.): „illa persona (quae significatur v. 112) a propinquis et necessariis diversa esse debet. Eorum enim commemoratio finita est: Horum si nihil est, sed avia certe ad Horum annumeranda est.“ Denique notandum est, permultum sine dubio interesse Graecorum, ut e domo quem corrumpant, id quod apparet vel eo, quod nulli enumerantur nisi propinqui domini et necessarii. Et si nihil voluissent nisi inservire libidini, cur cum illis ipsis stuprum facere adeo cordi iis erat? Patet certum consilium eos persequi. Et id latet in versu 113. —

V, 51. Satirae V versum 51 *Non eadem vobis poni modo vina querebar?* quem ne Ribbeckius quidem tangere ausus est, deleverunt Pinzgerus (Eph. litt. Jen. 1822 N. 82 et De

verss. spur. p. 9 s.) et Heinrichius et Jahnius dicentes inutilem eum esse et languidum et interrumpere sententiarum ordinem. Quorum iudiciorum nullum dignum est, quod spectemus, nisi id, quo sententiarum ordinem turbare versus dicitur. Confiteri possumus sine ulla dubitatione retardari versu exponendi progressum. Nam interiecto versu dummodo singulare quid et attentione dignum significetur et efficiatur, ut qui legunt maiora esse quae sequntur iis, quae praegressa sunt, sentiant, non solum ferenda est eiusmodi ratio dicendi, sed etiam omni laude videtur digna esse, quippe qua contrariis acrius oppositis legentium animi suspendantur et erigantur. Neque erit qui neget, hoc quidem loco eiusmodi versum esse aptissimum. Nam id quidem non excedit fidem humanam neque ita vehementer commovet hominum animos, quod vinum patronus bibit melius quam clientes, sed incredibile fere est et sordidissimi hominis uti etiam aqua, ut clare et perspicue ante ocolus proponat clientibus ipsorum humilitatem. Deinde tantum abest, ut concedamus languere versum, ut contra ponamus, manifestius huius versus opera depingi patroni superbiam. Nam interposito hoc versu utitur poeta, ut cum vi quadam et pondere exponat, etiam maiore ignominia affici clientes eo, quod non eadem aqua iis ponitur, quam eo, quod vinum illud minoris notae bibere coguntur. Est enim eius, qui quam potest clarissime explicare studet, quantum discrimen inter duas res intercedat, uti interrogationis figura, qua exprimatur, pro nihilo ducendum esse id quod modo dixerit prae iis, quae dicenda restent, et facere, ut interrogationem minus illud amplectentem excipiat asyndeton, quo maius continetur et inauditum. Ita hoc loco poeta utitur interrogatione, ut ostendat, quam levis sit ignominia minore vino clientibus affecta comparata cum eo, quod ne eadem aqua quidem iis frui licet. Et est interrogatio illa miserantis simul et irridentis clientes, et plena irae et contemptionis in patronum!

Contra si deleremus versum, plane inane esset vocabulum „aliam“, pro quo exspectares potius „communem“, „vilem“,

similia. Et obtinet vocula „aquam“ gravissimum illum versus locum, qui est ante caesuram: qua ex re satis dilucide mihi quidem videtur apparere, opponi eam ipsam aut iis quae antecedunt, aut iis quae sequuntur. Nec potest opponi nisi verbis „non eadem vina.“ Denique deleto versu 51 vis ac pondus versus 52 esset in vocabulo „aliam“, quod per se est inane et ne obtinet quidem eum versus locum, cui ipse versus pondus tribuit. Sequitur deleto versu non emendari locum, sed debilitari. De caesurae autem apud I. usu confer Kiaerium (p. 5): „Iuvenalis in versibus scribendis rhetorica quadam arte usus versus ad rem, quam exponit, ita plerumque accommodat, ut voces, quae singulari pondere efferendae sunt, eo loco ponantur, cui ipse versus pondus attribuit, atque voces, quae inter se opponuntur, vel quibus oratio eandem vim addit, eadem versus sede designentur, ut in ultimis IV satirae versibus et V, 51—52.“ Nec longum erit laudare p. 7, ubi haec leguntur: „Animadversione deinde singularis et accurata caesura digna est, quae graves partes apud I. agit, et in cuius usu rhetorica eius ars summe apparet. Poetam et in oratione distribuenda et ubi vocem aliquam singulari pondere efferri velit, eius ope niti, multi huius disputationis loci satis docebunt.“

Praeterea non potest negari, abhorrere ab Iuvenalis sermone, unum hemistichium opponere duobus versibus (49 et 50), qua de re rectissime Hermannus in praef. p. XXIII indicat haece locutus: „qui versus ut abesse possit (?), omisso tamen membrorum concinnitas debilitabitur, quae „aliam aquam“ uno hemistichio absolvi vix sinit.“

Addere liceat defendi versum scholiastae adnotatione, qui melius huius aetatis criticis vim versus videtur intellexisse et ita interpretatus est:

„Non eadem vobis poni] id est, non solum quod aliud vinum bibitis, sed etiam et aquam diversam.“ —

VI, 157 s. Satirae VI versus 157 et 158 *deinde adamas notissimus et Beronices In digito factus pretiosior: hunc dedit olim* (157) *Barbarus incestae, dedit hunc Agrippa sorori* deletis duobus hemistichiis

[*pretiosior: hunc dedit olim*
Barbarus incestae]

unius versus in formam redegit Hermannus in libello, qui inscriptus est Vindiciae Iuvenalianae (p. 10). „Unde enim, inquit, notissimum illum adamantem factum esse dicamus, nisi praeter alios etiam Beronices in digito fuisset?“ At notissimum eum fuisse hominis praeclari possessione poetae credamus necesse est, neque opus est nobis scire, quomodo notissimus factus sit; multum vero nostra interest ad mulierum Romanarum mores penitus cognoscendos audire, etiam pretiosiorem eum factum esse eo, quod fuit in digito Beronices: eius enim possessione, quae incesta adamantem ab incesto fratre dono acceperat, mulieribus istis degeneribus notissimus ille annulus etiam pretiosior videbatur esse, ut dabat magnum pretium annulis fama et dignitas priorum possessorum. De interpretandis verbis „hunc dedit olim — Agrippa sorori“ vide sis Kiaerium p. 37, qui non de duobus viris et duabus sororibus, sed de uno viro et de una sorore, Agrippa minore et nota illa Agrippae maioris filia libidinosa, poetam cogitasse optime exposuit.

Deinde Hermanni scriptura debilitari locum facile intelligitur: nam deletis hemistichiis versu „notissimus et Beronices in digito factus“ additur tantum Beronices fuisse annulum, servatis diserte exponitur, ipsa Beronices possessione vel notissimum annulum etiam pretiosiorem factum esse, id quod optime quadrat in consilium Iuvenalis mulierum Romanarum mores perstringentis.[1])

VI, 188. Sextae satirae versum 188 *Cum sit turpe magis nostris nescire latine* spurium esse critici probare

[1]) Rupertii et Weidneri de adamante adnotationes omni carent probabilitate. Verum vidit Teuffelius et in versione et in commentario p. 215.

conantur duobus potissimum argumentis, asseverantes versum omnino non posse intelligi et dicentes interposito vocabulo „latine" impediri eos, qui legant, quominus recte verba „hoc sermone" (189) referant, id quod fiat necesse est, ad vocabulum „graece" in v. 187 scriptum. Et eo argumento, quod primo loco retulimus, solvi quaestionem confitendum nobis esset, si quis verum esse argumentum doceret nos, cum sine dubio delendi sint omnes, qui neque interpretando neque emendando probari possint sani, versus. At falsum esse argumentum facere non possumus, quin iudicemus. Nam habent verba, quae sunt „omnia graece" (187), hanc sententiam: studiose operam dant, ut graece discant, tamquam dedecori sit, non posse omnia graece dicere. Quam sententiam optime sequuntur verba: „cum sit turpe magis nostris nescire latine", i. e. cum sit (magis) dedecori Romanis nescire latine (quam nescire Graece loqui). Neque inaudita est apud Iuvenalem eiusmodi brevitas orationis: cfr. VIII, 26 „agnosco procerem: salve cett." et VI, 444 „imponit finem — honestis. Nam cett.", ubi versu 444 continetur haec sententia: sapiens etiam honestis rebus modum imponit, eumque imitari debet docta mulier nec nimis captare doctrinae laudem; nam cett. Similis locus est X, 203s. Deinde ad alterum illud argumentum refellendum satis est adnotasse, neminem, qui quidem sit suae mentis, relaturum esse verba „hoc sermone" ad vocabulum „latine", cum sit is, in quem omnes hi versus facti sunt, sermo nullus nisi graecus, latinus sermo obiter tangatur, cumque praeterea inde a v. 189 poeta renovet indignationis impetum, verborum „omnia graece" sententiam plenius expositurus.

Confer si placet ad h. l. Weidnerum in editione et Teuffelium, qui recte mihi quidem videntur iudicasse.

VI, 274. Satirae VI versum 274 *In statione sua atque exspectantibus illam* non Iuvenalis esse Ribbeckius et Iahnius pluribus ex indiciis colligendum esse censuerunt. Ac primum quidem invenitur in eo hiatus. At si animadverteris, quas in

admittendo hiatu leges secutus sit Iuvenalis, et comparaveris ceteros eiusdem aetatis poetas, facile concedes, nihil miri atque inauditi habere eum de quo h. l. agitur hiatum. Quam enim legem secuti plerique poetae, qui florebant inde a Ciceronis aetate, in longam finientes cum hiatu non adhibuerunt nisi aut in caesura legitima penthemimeri vel aliquando hephthemimeri aut cum nomine proprio quod vocatur, eadem lege usus est Iuvenalis, id quod apparet ex his versibus sextae satirae ducentesimo et septuagesimo quarto simillimis: III, 70. VI, 468. X, 54. 281. XIV, 49. XV, 126, quibus locis hiatus est post caesuram penthemimerim, et I, 151. II, 26. V, 158, ubi est post hephthemimerim. Maius est, quod videtur versus supervacaneus esse, et praebent versus antecedens et insequens facillimam in unum confundendi facultatem, cum optime coniungatur cum adiectivo „paratis" infinitivus ille, qui est „manare". Sed quis ideo versum delebit, quod deletus a nullo desideratur, et eorum, inter quos legitur, versuum fieri potest concursus? Memineris h. l. velim eorum, quae supra disputavimus p. 8 de versibus accurate excutiendis! Nam optime versum salse dictum esse exposuit Weidnerus, defendens eum his verbis: Dieser Vers kann unmöglich getilgt werden. Er hebt die Schilderung durch beissenden Spott . . . Denkt man sich den Vers hinweg so erscheinen die Worte semperque paratis neben uberibus semper als lederne Prosa cett.

Restat, ut recte scribamus versum. Et scribimus ita: „Uberibus semper lacrimis, semperque paratis In statione sua, atque exspectantibus illam, Quo iubeat manare modo." Quod coniunguntur verba, quae sunt „paratis in statione sua" [1]), nihil habet offensionis apud Iuvenalem, qui pleonasmo qui dicitur abundat, praesertim cum h. l. pleonasmo utitur poeta ad augendam irrisionem. Praeterea servandam esse censemus scripturam „illam", cuius verborum consecutionis exemplum apud Iuvenalem ipsum quidem non invenimus, sed reperimus

[1]) Weidneri in textu typothetae sine dubio errore comma positum est post paratis; in adnotatione recte scripta sunt verba.

apud praeclarissimos Romanorum poetas, quin etiam apud Caesarem et Ciceronem. Confer Hor. c. IV, 14, 6. Cic. Lael. III, 6, 6. Caes. b. G. I, 39, 6. Locum huic de quo nunc agitur versu simillimum praebet Liv. 42, 40, 1 (exspectari nos arbitror, ut respondeamus literis tuis).

Sed dixerit fortasse quispiam, hoc quidem loco minime aptum esse hoc dicendi genus, cum evadat sententia inepta, et quaesiverit, quomodo quis sanus possit dicere, lacrimas exspectare eam, quae ipsa lacrimat! At velis reputare translatione h. l. uti poetam, et praeterea illam i. e. ipsam uxorem poni pro eo, quod imperat. Sequitur, plane inutiles esse coniecturas a Valesio (illas) et Huschkio (‚illa) propositas.

Probamus quae dixit Heineckius (anim. p. 29) ita iudicans: „magnam inesse vim et elegantiam in verbis „In statione sua“ supraque ingenium esse librariorum et talium versificatorum, qui suos foetus nobilibus poetis saepissime subiecerunt, quisque opinor mihi concedet, qui vel tantillum pulchri sensum habet ... Enimvero usitata et optimo cuique frequentata est loquendi ratio, qua accusativus, qui a verbo praegresso pendet, infertur ubi exspectares nominativum.“

I, 335s. Eiusdem satirae versus 335s. *Atque utinam ritus veteres et publica saltem His intacta malis agerentur sacra: sed omnes* delent Heinrichius, Ribbeckius, Iahnius, quorum primus dicit versus „einen frommen Wunsch, den die bisherige Beschreibung freilich erweckt, der aber an dieser Stelle herzlich matt ist,“ quae verba repugnare inter se in aperto est. Nec maius Ribbeckius in medium protulit. Sed quisquis liber est opinione praeiudicata verumque quaerit, is diligenter locum contemplatus facile concedet omnino non posse omitti hos versus. Nam primum si deleveris versus, excipiet aselli mentionem, qua finitur teterrima illa antecedentium versuum imago, narratio historicorum in modum composita, ad quam transiri ab illa vix potest nisi intermissis quibusdam verbis transitum significantibus. Quam negligentiam licet concedas

poetae, tamen postulantur hi versus narrationis quae sequitur natura, ne qui legunt in errorem ducantur. Nam cum describantur inde a versu 314 quae a feminis fieri solent Bonae Deae secretis i. e. sacris privatim et contra antiquum morem institutis, optimo iure quae describuntur usque ad. v. 334 crimini dantur ipsis feminis; nullo autem pacto licet feminis culpae dare quae narrat poeta inde a. v. 337 usque ad v. 345, ubi turpitudinis nota inuritur Clodio, qui psaltriae habitu sacris Bonae Deae interfuit stuprumque intulit Pompeiae Caesaris uxori. Apparet describi verss. 314—34 peccata a feminis commissa, verss. 337—45 referri notum illud viri facinus. Quod vero est argumentum cum totius satirae, tum huius partis? Propositum est poetae vitia perstringere feminarum! Sequitur h. l. a proposito eum aberrasse, id quod non sine causa eum fecisse patet. Quae posita est in eo, quod voluit poeta notare universae aetatis impietatem querens de sacris deorum non solum a feminis effrenata licentia laesis, sed etiam a viris vi feminis illata violatis. Itaque si versum 334 exciperet v. 337 (Noverunt), minime suspicaremur, quo dirigat poeta cogitationem, sed facile in eum duceremur errorem, ut putaremus poetam hoc quoque quod sequatur facinus feminis culpae esse daturum. Sequi videtur ex his, quae disputavimus, inter versus 334 et 337 requiri verba aliquot ab altera parte ad alteram transitum praebentia.

Sed dixerit fortasse quispiam, tamen recte iudicasse Heinrichium, qui existimaverit versus herzlich matt. Quod tamen iudicium quam vanum pravumque sit in aperto est. Inest his versibus sententia ea, qua mores Iuvenalis et natura optime illustrentur. Nam recte incusaveris horum versuum poetam, quem nos quidem Iuvenalem esse censemus, hebetati pudoris ut loquentem, quasi ferri possit feminarum licentia et turpitudo sacris privatis, dummodo intacta remaneant publica. Nec vero haec vituperatio argumentum est delendorum versuum, cum quaeratur, nonne fuerit Iuvenalis eiusque aequalium, ita perverse iudicare de rebus ad mores et naturam pertinentibus. Nec negabit, qui quidem lectitaverit Iuvenalis satiras, multos

in iis inveniri locos, quibus prodat poeta iudicium de honesto valde turbatum et hebetatum. Confer si placet VI, 434 et ea, quae antecedunt comparata Heinrichii adnotatione, quo loco Ribbeckius transpositionem facit; II, 65 ss. et Teuffelii notam; I, 22 s. VI, 33 s. cett. Apparebit hos similesque versus multum conferre ad cognoscendos Iuvenalis eiusque aequalium mores. Praeterea sequitur, nostro nos iure iudicare, ex hac quidem re argumentum delendorum versuum non posse duci nec debuisse Ribbeckium hanc rem summam delendi causam proferre ad sat. II, 145 ss.

VII, 51. Septimae satirae versum 51 *Consuetudo mali; tenet insanabile multos* delevit Iahnius, qui ita scripsit in editionibus suis: „Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosum Scribendi cacoethes et aegro in corde senescit“, et adnotavit haec (1851): „50 ambitiosum scripsi: ambitiosi P. S. ω., quod a correctore illatum est, postquam 51, quem spurium iudico, additus est.“ Uberius tractavit hunc locum anno 1863 in scholis Bonnae habitis, quarum particeps factus secutus eum est Lupus (p. 34). Ribbeckius versum delendum esse docet p. 129 s.

Sed etiamsi negari non potest, id quod etiam Hermannus confitetur in praefatione, blandam esse Iahnii suspicionem, tamen accuratius locum examinanti non veram eam esse apparebit. Nam primum, quod gravissimum est, caveas ne delendi gratia cogaris animumque inducas immutare insuper quae sequuntur vel antecedunt, praesertim ubi velut h. l. et codicum consensu et scholiorum testimonio certa quaedam et eadem scriptura tradatur. Deinde versu 50 praebetur sententia generalis, e qua versu 51 ducitur sententia specialis et ad hunc ipsum locum adaptata. Ergo recte in v. 50 scripsit poeta „si discedas“ i. e. „si quis discedat, eum tenet consuetudo,“ vel „omnes, qui discedant, tenet consuetudo“; contra in versu 51 non potest sermo esse de omnibus, sed dicendum est de quibusdam vel multis. An omnes tenet

cupiditas et studium scribendi? nonne alium alia cupiditas? Patet non repeti verbis quae sunt „tenet insanabile cett.“ eadem, quae iam dicta sunt verbis praegressis. Iure igitur versum Iuvenalis esse dixerunt atque in textum eum receperunt Hermannus et Weidnerus, quorum adnotationes conferas. Ad figuram illam quae est in repetitione verbi „tenet“, quae est commoti animi et magnam vim habet in hortando, vide sis VI, 232 s. (illa docet — illa docet), XIII, 33 s. (nescis — nescis), I, 15 (et nos — et nos) X, 220 ss, ubi sexies repetitur „quot“, huius satirae versus 229—40 repetitionis figura memorabiles. Addere liceat Weidneri verba ad h. v. adscripta: Die Wiederholung von tenet am Anfang des Satzes hat rhetorischen Affect · es hält gefesselt . . . ja, gefesselt hält. Die Steigerung von malum ambitiosum zu insanabile cacoethes ist sonnenklar. Deshalb hätte v. 51 nicht verdächtigt werden sollen.

Praeterea autem deleto v. 51 privatur Iuvenalis singulari quadam et audaci verborum figura, qualem versificator quivis praestare non potuit, verba dico „ambitiosi consuetudo mali“, figuram haud ita usitatam, qua adiectivum illud positum est pro genetivo epexegetico „ambitionis“. Confer de eiusmodi figuris Wichert, über den Gebrauch des adiectivischen Attributs an Stelle des subiect. oder obiect. Genet. im Lat., Berlin 1875., qui p. 12 s. (§. 5) exhibet haec: Die obigen Adiectivverbindungen mit mons cett. legen die Frage nahe, ob nicht auch sonst die Species adiectivisch zum Genus hinzutreten könne, wenn letzteres einen Kreis von Naturgegenständen bezeichnet. Indessen möchten sich wol wenige Beispiele dieser Art finden . . . Dasselbe gilt von Werken der Menschenhand . . . Nicht viel anders ist es auf geistigem Gebiete. Bei Cicero lesen wir virtutibus continentiae, gravitatis cett. p. Muren. 10,23 (vgl. continentia est virtus), bei Dichtern und Späteren steht für den Genetiv neben virtus zuweilen das Adiectiv. Venalis populus, venalis curia Patrum. Est favor in pretio, senibus quoque libera virtus exciderat, Petron. de mutat. reipubl. Rom. 41, nicht schlechtweg = libertas, wie Wernsdorf Poet. Min. III, p. 32 will, sondern zunächst wenigstens =

virtus libertatis. Ebenso . . . provida virtus zunächst = virtus prudentiae. Aehnlich könnte vielleicht auch . . . gloria fortis abest, Tibull. I, 5, 2 gefasst werden (= gloria fortitudinis, vgl. fortitudo est gloria . . .) . . . Ob laus humana, brevis u. dgl. (= laus humanitatis, brevitatis, der Kürze im Ausdruck, und also ganz verschieden von dem bekannten laus oratoria, imperatoria), facultas eloquens (= facultas eloquentiae . .) und Aehnliches irgendwo sich findet, muss dahingestellt bleiben. Unmöglich ist es nicht, da in obiectivem Sinne exemplum constans, iustum, honestum u. dgl. bei Spaeteren nicht ungewöhnlich ist (s. unten § 50).“ Iuvenalis verba „malum ambitiosum“ (= malum ambitionis = ambitio) similia videntur esse illis, quae sunt „libera virtus, provida virtus.“

VII, 109. Eiusdem carminis versum 109 *praecipue, vel si tetigit latus acrior illo* delevit Iahnius. Iuvenalis h. l. exponit, non solum poetas et historicos misera conditione uti, sed etiam causidicos parvum auferre operae pretium; ipsos quidem uberrimos pecuniarum reditus iactare, sed veras eorum facultates tam esse tenues, ut ne centum quidem causidici conferre possint unius famosi aurigae divitias (106—114). Opponuntur igitur verba, quae sunt in v. 108 *ipsi magna sonant*, iis quae sunt in v. 112 *veram deprendere messem si libet*, ut dicantur mendacia causidici detegi rebus ipsis. Additur autem ad verba illa „ipsi magna sonant“, praedicare causidicos de reditibus suis eo magnificentius, si creditorem quem forte audientem senserint, et incredibilem in modum mentiri eos, si veniat quis, qui flagitet debitum, quia suspicari coeperit illius solvendi facultatem.

Hic „qui venit ad dubium grandi cum codice nomen“ quisnam sit, quaeritur. Accuratius hanc rem tractavit Madvigius (op. acad. II, 179 s.) ita disserens: „ipsi quidem omnia magna loquuntur, magnas sibi mercedes solvi solere dicunt (magna sonant); sed quando hoc dicunt? tum praecipue, cum

ii audiunt, quos causidicorum interest bene de illorum reditibus sentire et magnas illis mercedes venire putare. Quinam hi sunt? Primum creditor causidici ipsius; nam ut hic fidem suam tueatur et spem creditori faciat facilis solutionis, reditus suos exaggerat.“ Quae vera esse nemo negabit. At pergit Madvigius haece disputans: „deinde id fit, cum acrior etiam creditore latus tetigit et magis hominem excitavit litigator et litigator dives et dubiam causam afferens, dubium nomen petens; nam ab hoc eo maior merces exprimetur, quo plus vulgo causidicum accipere solere crediderit.“ Quae vera esse equidem persuadere mihi non possum. Nam cum comparetur eius, qui acrior latus tetigit, ratio tractandi causidicum cum ratione creditoris, videtur concludi posse, eum quoque esse e creditorum numero. Deinde scriptum habemus „venit ad dubium grandi cum codice nomen“, quae verba quomodo explicanda sint accepta Madvigii interpretatione equidem non video. Nam ipsius Madvigii verba „dubiam causam afferens, dubium nomen petens“ non idem valere ac verba poetae „veniens ad dubium nomen“ per se patet. Quid enim est grandis codex? Sunt tabulae creditoris, argentarii, in quas retulit nomina. Quid sunt nomina? Translatum est h. l. vocabulum nominis ad eum, qui debet pecuniam. Venit igitur ille ad unum e debitorum numero. Cuius autem latus tetigit, ad quem venit? Tetigit latus causidici, venit ad causidicum. Apparet causidicum esse e debitoribus eius, qui latus tetigit. Exsistunt igitur h. l. duo creditores, quorum alter mendaciis causidici fallitur, alter mota suspicione venit cum tabulis debitum flagitaturus, quo fit, ut mirum in modum causidicus de mercedibus suis gloriari cogatur. Hanc nostram interpretationem si acceperis, facile locum intelliges, neque erit, cur cum Iahnio versum 109 expungas.

Accedit quod ineptum deleto versu locum fieri demonstrare possumus. Nam evadit eiecto versu mira haec sententia: „magna sonant, sed tum, cum creditor audit, qui venit cum tabulis ad dubium debitorem;“ quasi dicturus fuerit poeta, longe abesse causidicos, ut glorientur aliorum causa ac credi-

torum. Nonne magna loqui solent eiusmodi homines et magnas sibi venire mercedes dicere, ut fidem sibi parent serventque et alliciant homines, qui opera sua utantur? Num eos tantum creditores fallere student, qui iam suspicari coeperint? Nonne id agere coguntur, ut omnium creditorum benevolentiam sibi concilient fidemque tueantur, quorum in credulitate omnem spem reponunt? Patet plane necessarium esse vocabulum praecipue, ne in ineptum abeant verba quae sunt „sed tum, cum creditor audit". Una autem cum vocabulo praecipue servetur necesse est versus 109.

VII, 192. Eiusdem satirae versum 192 *appositam nigrae lunam subtexit alutae*, quem ne Ribbeckius quidem tangere ausus est, delendum esse censuit unus Iahnius. Et est hic versus in eorum, quos antea genuinos existimavit, postea delevit, numero. Duas enim satirarum editiones paravit Iahnius, alteram maiorem a. 1851, alteram minorem a. 1868, inter quas, quod attinet ad interpolationes, magnum videbis discrimen intercedere. Nam antequam alteram editionem Iahnius foras dedit, librum illum legit Ribbeckii, cuius argutiis ita captus est, ut saepe eum sequi animum induceret. Qua de re ipse: „factum est, inquit, ut iam paullo severius quam antea versus insiticios circumscriberem", et „ea tantum spuria iudicavi, quae a poeta, modo recte cogitaverit, nullo modo scribi posse putavi". Quarum sententiarum haec docet, quantopere paullatim in captiones se induxerit vir doctissimus; illa quam vera sit, nisi forte gravius premis voculam paullo, apparebit comparanti tibi eorum, quos 1851 delendos existimavit, versuum numerum cum iis, quos delevit 1868. In priore enim editione eiecit versus undeviginti, in posteriore versus septuaginta. Quinquagies igitur in priore editione fugit Iahnium, non recte poetam cogitasse. —

Nec videtur dubitari posse, quin eiicere hunc versum animum induxerit opinatus turbari eo concinnitatem earum, quae a voce felicis initium capiunt, partium. Nec vero ea

est concinnitas membrorum, unde sumatur argumentum delendi eius, quo negligitur, versus: nam primum membrum continetur dimidio fere hexametri, tertium toto hexametro et hemistichio. Quae cum ita sint, non multum mihi quidem videtur interesse, utrum unum versum amplectatur alterum membrum an duos. Tria autem membra ponenda esse docet insignis vocabuli felicis positus ter repetitus. Praeterea vel inde, quod et in primo et in tertio membro sententia incipit a vocabulo felicis, videtur concludi posse, medios quoque versus in unum enuntiatum esse coniungendos, non separatim esse cum Heinrichio et Hermanno scribendum utrumque versum, ita ut sit versus 192 asyndeton. Interpretamur igitur alterum illud membrum, quo contineri censemus versus 191 s., ita: „felix, cum sit (i. e. habeatur) sapiens et nobilis et generosus, lunulam nigrae alutae appositam subtexit,“ secuti Rupertium, Weberum, Iahnium (1851), Weidnerum. Hertzbergius in versione vernacula artificiosius quam rectius incidit ita: „felix et pulcher et acer, Felix et sapiens, et nobilis et generosus Appositam cett.“, nec contra dixit ullum verbum Teuffelius, qui adnotationes conscripsit ad hanc satiram. Versionem Hertzbergii subiicimus: wer Glück hat, ist voll Schönheit und Scharfsinn, wer Glück hat ist klug und, von hoher und adliger Herkunft, Fügt er den Halbmond cett. Quaeritur, quomodo intellexerint viri docti voculam „et“ inter Felix et sapiens positam.

Ceterorum interpretum rationem sprevit Kiaerius, qui sententia quae est „appositam nigrae lunam subtexit alutae“ conditionis in formam redacta post generosus maiore signo, post alutae minore incidere iubet, ita ut vertatur: wer Glück hat, ist schön und genialisch, wer Glück hat, ist weise und vornehm und adlig: wenn er den Halbmond auf schwarzem Leder unten am Fusse sich befestigen darf, so ist derjenige, welcher Glück hat, auch ein bedeutender Redner und Witzbold, und singt schön, auch wenn er heiser ist. Quid tandem pertinet ad cantandi scientiam luna nigrae alutae apposita? Nonne quisquis est fortunae filius, sine lunula illa habebitur cantor egregius, quamvis angusta sit et tenuis vox eius et

mediocris canendi ars? Vide sis ipsius Iuvenalis satirae III v. 90 s. „Miratur vocem angustam, qua deterius nec Ille sonat, quo mordetur gallina marito.“ Non semper intelligentium ac peritorum iudicio promoventur oratores, cantores, mimi! Omnino autem h. l. nulla invenitur conditio, nisi quae continetur vocabulo felicis, ut interpretemur vocabulum illud verbis „si quis felix est“: nam id unum h. l. agit poeta, ut exponat sola fortuna omnia mortalibus tribui. Patet eiusmodi in sententia priori conditioni non posse alteram addi, qua minuatur vis eius et, ut verbo utar, omnipotentia.

VII, 214. Versum sat. VII ducentesimum et quartum decimum *Rufum, quem totiens Ciceronem Allobroga dixit* delendum esse censuit Weidnerus. Nam primum fieri non posse, ut h. l. repetitionis figura (Rufum-Rufum) poeta usus sit, cum in antecedenti versu non unus nominetur Rufus, sed post eum commemorentur „alii“ et legatur insuper „sua quemque iuventus.“ At repetatur Rufi nomen necesse est, propterea quod inter Rufum et vers. 214 intermissa sunt verba „alios“ et „quemque“. Deinde quaerit criticus subiectum enuntiati relativi „quem totiens cett.“, ipseque respondet rectissime subiectum esse vocabulum iuventutis e praegressis supplendum. At qualem, inquit, orationis duritiam, supplere subiectum „iuventus“ e verbis illis quae sunt „sua quemque iuventus“! Duritiam subesse facere non possumus quin negemus. Denique Weidnerus profitetur eandem irrisionis vim habere verba Cicero Allobrox ac verba der Bismark von Reuss-Schleiz. Quae comparatio pessime claudicat! Nam parvula illa, quae Reuss-Schleiz vocatur, terra omnino non potest habere Bismarkios, quia opus est tali viro maiore campo; contra orator eximius sine dubio poterat exsistere inter Allobroges. Nonne tulit Gallia egregios oratores? Vide sis Votienum Montanum Narbonensem et Domitium Afrum Nemausinum, qui Tiberii aetate florebant. Praeterea confer ipsius Iuvenalis locos VII, 147 ss. XV, 111. et Quintil. X, 3,13.

Scribendum est in hoc versu cum optimo codice P „quem totiens cett.“, quae lectio defenditur etiam scholiastae adnotatione ex hac versus lectione haud dubie profecta „valde disertus“.

XV, 97 s. Quintae decimae satirae versus 97 et 98 *Huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet Exemplum esse cibi, sicut modo dicta mihi gens*, qui et codicum omnium consensu et scholiorum testimonio Iuvenalis esse traduntur, delevit Guyetus et post eum Franckius (quaest. alt. p. 5), Iahnius (1868), Weidnerus. Argumenta, quibus Iuvenale indignos eos esse ostendatur, congerit Ribbeckius p. 48.

Sed perverse interpunxerunt editores et cum iis Ribbeckius: non sunt enim verss. 97 ss. coniungendi cum iis quae sequuntur, sed puncto post „gens“ posito seiungenda a v. 99, ut per voculam „post“ (99) novum incipiatur enuntiatum, versus 97 et 98 separatim intelligantur. Quo facto vocabulum „sicut“ minime positum est, id quod vituperavit Ribbeckius, pro siquidem, sed usurpatur ea, qua semper utitur, sententia. Ipsius autem versus 97 verba ita fere inter se sunt iungenda: „huius enim cibi exemplum, quod nunc agitur, miserabile debet esse“; nam „huius cibi“ quid sibi velit e praegressis satis elucet. Vernacule autem vertimus: denn der oben genannten Speise Beispiel, um das es sich hier handelt (i. e. apud Vascones), muss Mitleid erregen, quibus verbis significetur, Vasconum facinore moveri misericordiam magis quam iram et indignationem. Deinde verba „dicta mihi gens“ referenda sunt ad Vascones, ut dicatur: non minus misericordiam movet, quod Vascones inter se devorare coacti sunt, quam ipsi Vascones miserabiles sunt longinqua obsidione ad summam desperationem adducti. Verum vidit Hertzbergius, qui ita versus interpretatus est: Denn hier handelt es sich um ein Beispiel schrecklicher Speise, Das der Bejammerung wert, wie das Volk, das ich eben erwähnte. Denique quae scripta videmus „fortunae invidia est“ (95) nihil habent offensionis: nam hi versus (93 - 96) non sunt rerum scriptoris antiquitus facta narrantis, sed sunt

iudicis, quibus causis excusandi sint Vascones, exponentis. Cui res illas et miserabilem obsessorum conditionem quasi praesentes esse ante oculos positas per se patet. Ad verba „sed res diversa“ (94) confer si placet VIII, 215 s. *sed causa facit rem Dissimilem.* Defendit versus etiam Doellenius, Beitraege cett. p. 375 ss.

Receptis igitur versibus haec evadit dispositio: toto loco inde a v. 93 agitur de Vasconibus et Aegyptiis inter se comparandis, his vituperandis, illis excusandis; verss. 93 et 94 narrantur ea, quae facta sunt; deinde verss. 94—96 exponitur videri rem similem, esse diversam; tum verss. 97 s. contenditur misericordia dignos esse Vascones; denique verum esse poetae de hac re iudicium argumentis demonstratur versibus 99 ss., quibus miseriam Vasconum in oppido obsessorum describit poeta (99—103) et argumentis rhetorum in modum de aliis gentibus, de aetate cett. sumtis excusationem Vasconibus dandam esse exponit (103 ss.).

V, 66. Iam agendum nobis est de loco, qui spectat ad sententias generales quae vocantur, satirae V versu 66 *maxima quaeque domus servis est plena superbis.* Quem versum qui delent viri docti, Heinrichius (ad. v. 51), Iahnius (1868), Ribbeckius, Meinertzius, iudicium suum non nisi inanibus detritisque verbis confirmare studuerunt, quibus profitentur languidum esse versum, inutilem, supervacaneum, Iuvenale indignum. Caute Teuffelius iudicat ita: von v. 66 ist Heinrich zuzugeben, dass er entbehrlich ist, und dass er möglicherweise Zusatz eines gebildeten Abschreibers sein könnte, welcher selbst schon solche Erfahrungen in vornehmen Häusern gemacht hatte. Für einen zwingenden Beweis aber wird dergl. Möglichkeiten kein Nüchterner halten. Nec minus probamus quae dixit Lupus p. 30 s.: „item supervacaneus est (scl. v. 66) ac permultae sententiae generales passim per omnes satiras dispersae.“ Continetur enim hoc versu sententia generalis, quales ex Iuvenalis satiris delendas esse et exstin-

guendas censent huius aetatis critici eorumque imprimis Ribbeckius, qui tamen ne hac quidem in re constantem firmumque se praebuit. Qua de re infra videbimus. Videtur autem Ribbeckius arbitrari esse huius versus sententiam facillima observatione inventam tamque inanem et proprio versu indignam, ut non liceat suspicari ipsum Iuvenalem carmini suo eam inseruisse. Quod verum esse tantum abest ut Ribbeckio concedamus, ut contra dicere audeamus, non solum contineri hoc versu sententiam veram rectamque, sed etiam testem eum esse poetae observationis et sagacitatis. An falsum est, domini superbia crescere famulorum erga pauperes audaciam? Nonne hodie quoque poetae hominum rerumque notitiam ostendunt producentes in scaenam superbi domini superbiores famulos supplicantium animos contumeliis vulnerantes? Neque unus Iuvenalis id animadvertit literisque mandare operae pretium putabat, sed etiam Seneca de const. 11: „servorum audacia, inquit, ita demum sibi in convivas ius facit, si coepit a domino.“ Sed dixerit fortasse quispiam, vel optimam sententiam generalem vix ferendam esse alieno loco, neque esse hoc quidem loco eiusmodi versum neque utilem neque pulchrum. At tantum abest, ut vera sit haec opinio, ut optimo iure nobis videamur iudicare, obtinere hunc versum locum sententiae generali maxime consentaneum; id quod loco in suas partes accurate disposito facile demonstrabitur. Agitur enim versibus illis, qui sunt inde a v. 49 usque ad 52, ubi scriptum est vocabulum „aquam“, de discrimine ipsa aqua inter patronum et clientes facto; sequuntur versus 52—66, quibus queritur poeta de servorum audacia et petulantia; versibus denique 67—75 agitur de pane malo duroque clientibus apposito. Verbis enim quae sunt „ecce alius quanto porrexit murmure“ (67) non pergit poeta describere famulorum audaciam, sed incipit queri de duro pane, id quod apparet ex eis quae sequuntur verbis „panem vix fractum cett.“ Neque inaudita est haec transeundi ratio, cuius similem habes v. 52, ubi de vino aqua calicibus locutus transit poeta ad servos his verbis: „tibi pocula cursor cett.“ Finitur igitur v. 66 ea quae est de

servis pars. Quo loco cur non liceat ponere sententiam generalem servorum in clientes contumelias supra plenius descriptas detecta origine illustrantem?

Accedit quod multi versus huic simillimi eiiciendi nobis essent, si h. l. cum criticis illis faceremus. Eiusmodi enim sententiae simili loco positae itemque supervacaneae multae inveniuntur apud Iuvenalem eaeque ita comparatae, ut non facile eiiciantur, quippe quae non unum versum totumque contineant, sed aut spatium toto hexametro brevius amplectantur, aut spatium uno versu maius, duobus minus occupent. Liceat exempla ponere. Laroniae oratione, quae est in satira II inde a v. 38, continentur partes hae: versibus 38—44 irridetur is, qui legem Iuliam dormire queritur; verss. 44—47 viros scrutandos esse dicitur; verss. 47 ss. comparantur inter se virorum et feminarum peccata et vitia. Quarum partium altera finitur verbis illis versus 47 „magna inter molles concordia,“ quae nihil pertinent ad sententarium progressum, sed mera sunt repititio et interpretatio eorum, quae iam supra dicta sunt: „illos defendit numerus iunctaeque umbone phalanges“ (46). In satira III versibus 147—53 agitur de pauperum misera conditione, qui materiam praebeant iocorum. Clauditur haec carminis pars sententia illa versibus 152 ss. contenta: „Nil habet infelix paupertas durius in se, Quam quod ridiculos homines facit.“ Nec quisquam hos versus delere ausus est, quamquam salvo sensu deesse possunt, cum repetant ea, quae supra dicta erant (materiam praebet causasque iocorum, 147). Similes loci sunt hi: IV, 103. V, 130 s. VI, 141. 284 s. VII, 154. Apparet ex his quae disputavimus, omnes has sententias, cum sint supervacaneae simillimaeque huic, de quo modo egimus versui, cum hoc ipso versu fuisse delendas, nec vero esse deletas a criticis, quia versuum causa eiici non poterant; contra hunc versum, quia unius hexametri spatium amplectitur, prosperam delendi facultatem praebuisse iis, qui Iuvenalem versibus quam plurimis privare laudi sibi fore opinabantur. Item iudicavit C. L. Roth, cuius verba (de satirae natura, Kl. Schriften II, 390) digna

videntur esse, quae subiiciantur: „quod volunt intelligi (scl. satirarum scriptores), non raro per sententias plane aperiunt . . . et omnes satirae priscae . . . crebris sententiis interstinguuntur. Hoc in Iuvenale praecipue eminet, ut per sententias aliquas aut praefetur simulacris illis iconicis, quae in scenam inducit, aut vim et velut summam eorum, quae narravit, una sententia vel pluribus adiectis computet. . . . At breviores illae sententiae, in quibus tamquam in stationibus poeta paullulum ex impetu indignationis refici solet ac requiescere, viro ceteroquin acutissimo, Heinrichio, tantum taedii moverunt, ut versus Iuvenalis non paucos (VI, 184. 444. 460. VII, 138. XI, 99. 108. 182) propter languorem sententiarum damnaret, tamquam a monacho aliquo deside ac stupido intrusos. Quem viri insignis errorem corrigere non huius est loci, sed facile refutatur iis poetae eiusdem locis, qui cum ab alio quopiam intrudi non potuerint, tamen non minus videntur quam illi priores languere.“ Neque unicum eiusmodi artis criticae exemplar est satirae V versus 66, sed cum eo enumerandi sunt hi: V, 140. VI, 460. VII, 138. IX, 79 s X, 323. XII, 50 s. XIV, 208 s.

Et haec quidem hactenus. Addere liceat, ut probemus quae supra diximus non vacuas esse Iuvenalis satiras versibus spuriis, quae excogitavimus de expungendo satirae XIV versu 117 *Sed crescunt quocumque modo maioraque fiunt.*

Deleverunt hunc versum Iahnius (1868) et Weidnerus, quibuscum, etsi argumenta rationesque non attulerunt, facies, cum diligenter locum examinaveris. Imprimis videndum est, quid velit ea carminis pars, qua continetur hic, de quo agitur, versus 117, i. e. versus 107—122. Exponit poeta, avaritiam non posse iuvenum animos fallere nisi specie virtutis, cum forma eius sit tristissima et deterreat magis quam alliciat; commendari igitur vitium istud frugalitatis et parsimoniae nomine, neque haberi pro vitio, quia avarus non turpis et scelestus, sed parcus et frugi dicatur. Paucis si versuum sententiam complectimur, haec est: ad avaritiam

iuvenes impelli specie virtutis. Quid ergo ad rem versus ille: „sed crescunt quocumque modo, maioraque fiunt“? Nonne prorsus repugnat argumento et rationi versuum 107—22, non solum nihil praebens, quo commendetur avaritia, sed id ipsum afferens, quo necesse est moneamur, ut diffidamus virtutis speciei avaritiae fallaciter impositae? Nonne totus alienus est ab hoc loco, ubi opus est enumerare ea, quibus parsimonia vel potius avaritia commendetur, iniquum est describere verbis „quocumque modo“ i. e. per fas et nefas turpissimam adquirendi rationem? Sine dubio hic exstat versus totus alienus ab iis, inter quos legitur. Nam verbis „quippe his crescunt patrimonia fabris [Sed crescunt quocumque modo, maioraque fiunt] Incude adsidua semperque ardente camino“ nihil vult poeta ostendere, nisi quomodo fieri possit, ut avarum homines putent egregium adquirendi artificem, virum propter parsimoniam et frugalitatem verendum. Quid in his verba rationem adquirendi castigantia? Praeterea ne praebet quidem v. 118, quae pollicetur v. 117. Nam est v. 117 vituperantis, ita ut versu 118 enumerari exspectemus turpissimas corradendi artes. At nihil invenimus in versu 118 vituperationis, sed dicuntur avari augere patrimonia labore et sedulitate. Patet nullo vinculo cohaerere versum 117 cum eo, qui sequitur.

Recte autem coniunxisse nos versus 119—22 cum 116 et 118 ostendit versus 119, ubi legitur vocula ergo: „Et pater ergo animi felices credit avaros.“ Cur credit? Quia laudantur avari et putantur ab omnibus parci honesti beati. Patet inter verba „et pater ergo“ et verba „egregium populus putat adquirendi Artificem; quippe his crescunt patrimonia fabris“ minime posse intercedere versum 117, quippe quo tollatur sententiarum continuatio.

Haec argumenta petita sunt ex ipsius loci indole et necessaria sententiarum consecutione; addenda sunt quae manant e sermonis legibus. Ac primum quidem servato versu 117 cum interpungendum sit post verbum „fabris“, suo iure quaesiverit quispiam, quid sibi velit h. l. vocabulum fabri solum per se haud ita perspicuum, nec tamen a poeta ullo intelligendi

subsidio instructum. Adde quod non est Iuvenalis simile aliquod attingere, attactum missum facere. Deinde sine dubio Iuvenalis non tam fuit non solum sterilis, sed etiam eorum, quibus satiras suas legendas daturus erat, negligens, ut simile illud versu 117 adhibitum intermisso uno versu repeteret. Contra deleto versu 117 optime versus 116 et 118 inter se cohaerere nemo negabit: nam unum in enuntiatum aptissime coniungitur metaphora illa a fabris translata.

Restat, ut ostendamus, quomodo versus in textum irrepserit. Et mea quidem sententia natus est ex interpretamentis in margine positis. Interpretatus est aliquis enuntiationem quae est „incude adsidua“ verbis „quocumque modo“, perverse sine dubio, sed interpretatus est, cuius rei testem habemus scholiastam, qui praebet „quocumque casu“. Deinde verbum „crescunt“ interpretatus est aliquis glossa „maiora fiunt“. Et habet hanc ipsam scripturam omnium codicum optimus, Pithoeanus. Elucet ex his scholiorum et codicis P testimoniis versum 117 nihil esse nisi glossarum colluvionem, in textum scribarum errore illatam et, ut versus spatium impleret, auctam.

Corrigenda.

Ubique I legendum est pro J et **cum** pro quum.
p. 11 l. 13 **iudicia** pro iudica.
l. 15 **impugnare** pro inpugnare.